

§. II. Pontificii, dicente B E L -
LARMINO, Lib.I. de Conciliis cap.XIX.
omnes id munus proprium esse docent
summi Pontificis, vt per se, vel per le-
gatos praesideat synodo et tanquam
supremus iudex omnia moderetur, quan-
quam adhuc tempore concilii Tridentini eam digni-
tatem vindicare imperatori Hispani non dubitave-
rint. *Probant*

*Contra
Pontificios,
qui Papam
praesidem
faciunt.*

I. *Ex primo concilio, vbi iudex civilis non praesedit.*

Resp.

1) Neque Pontifex Romanus, neque eius Lega-
tus, sed Iacobus potius Hierosolymitanus.

2) Distinguendum inter *tempora Ecclesiae pacata*,
magistratu eius christiano existente, et *turbulen-
ta*, qualia Apostolorum temporibus fuerunt.
Haec non possunt normam faciendorum con-
stituere, quia gentilis magistratus, eo casu, ad ea,
quae christiani faciunt, conuiet, adeoque, si illi
quid faciunt, quod magistratui decetero compe-
tit, id eo permittente et quasi committente fa-
cere intelliguntur.

II. *Ex more, quo in veteribus conciliis vtuntur Pontifi-
ces, vbi episcopos suos filios vocant et illos hi Papas.*

Resp.

1) Etiam Patriarchae episcopos suos filios vocant
in concilio congregatos et illos hi Papas.

2) Pontifices Romani a conciliorum episcopis
fratres appellantur. Ergo ex hac ratione non
erant praesides.

§. 12.